

906

belli fecerant, factasque ad eam diem tenuerant, quasi civili inter se bello sint ejecti. Ferunt eam fuisse gentis immanitatem, ut postquam in Pannoniam venerant, patrio more ab esu humanæ carnis non abstinere, moxque in appellationem eorum quos ejecerant transeuntes, Hungari sint dicti: Illi vero, qui tum extorres erant, ab initio, ut hi, Hunni fuerant: sed Athilæ temporibus, ut quidam tradunt, ubi in Pannoniam venere, primo Bavari nominati: inde ex Hunnis & Bavaris literis quibusdam detritis, ex duobus nominibus factum esse unum. Ii itaque post Gallicas Germanicasque expeditiones, quum victo Lodovico Germaniæ Rege ac stipendiario facto, ingentem prædam domum reportassent, gestarum rerum successu elati statuerunt Italiam invadere: atque ob id fortasse, quia ejus terræ statum parum per id tempus pacatum audiverant. Mysiam igitur primo adorti, hostes cruento prælio victos tributarios fecere. Inde profecti, quum jam Italiæ propinquare dicerentur, Berengarius, qui Romanum tum Imperium habebat, cum quindecim hominum millibus occurrit: in ipsis Italiæ finibus est acriter dimicatum, victusque Berengarius, majore parte copiarum amissa, ex acie aufugit. Secundum hanc pugnam elatus Hunnus, qua proximum fuit, populabundus sese in Italiam effudit, igni ferroque Carnorum finibus vastatis, terrore & metu omnia complens, Taurisium occupat. Inde quum Mediolanum versus ducturus videretur, fama Venetarum opum, quæ jam inde in Italia illustres esse cæperant, motus, omnem vim belli repente in Venetos convertit: confestim lembis ad trajiciendas copias fabricatis; quos coriis obductos (quia rudi materia & arte constarent) fuisse tradunt: *Civitatem novam* Barbarus adortus (sic enim post instaurationem appellatam fuisse constat, quæ olim *Heracilia* dicebatur) primo impetu occupat, incendioque absumit. Inde digressi Equilium Barbari Jesulumque pari clade opprimunt. Secuti deinceps prosperarum rerum cursum secundum maris littus, Clodiam ac Caput aggeris diripiunt, direptisque ignem subjiciunt. Demum ad Rivalentiam

Nomen
Hungarorum.

Hunni Berengarium
vincunt in
finibus Italiae;

Venetarumque
opum populati,

Urbem oppugnant.

nam